

Agrum Metaurensem bellorum incendiis amissum memorat Inscriptio. Joannes Petrus Riccius peculiari dissertatiunculâ marmor itud illustravit, in quâ M. hunc Accium coævum Aureliano constituebat, ab eoque restitutum volebat Agrum Metaurensem amissum, seu direptum, & desertum bellorum incendiis, quæ ab Aureliano gesta sunt cum Marcomannis, quos ille demum circa Metaurum profligavit. Eam Joanni Pilio Fanensi nuncupavit, a quo pluribus sane laudibus est ornata, ut ex ejus epitolâ constat, cujus exemplum habeo; Porro in perquirenda Riccii commentatione operam perdidit, nec dolet; quivis enim vel leviter antiquitatis studiis instructus contendet Inscriptionem Aureliano vetustiore esse, siquidem genuina sit. Nam, ut verum fatear, hæret hic mihi aqua, ne Maccium falsi arguam. Equidem restitutio Agri Metaurensem bellorum incendiis amissi, & publicorum vectigalium conservatio ejus, qui litibus judicandis tantum præsit, muneris fines longe excedit; neque enim præcipua hæc Principatus œconomia ad privatarum causarum Judicem ex officio pertinet; Quod si forte M. Accio id a Principe fuisset injunctum, & Principem laudasset Inscriptio. Præterea quænam umquam bella agrum Metaurensem devastare potuerunt? Docere illa debuerat Maccius ad sui lapidis fidem tuendam. Aureliani enim tempora, quæ Riccius somniaverat, Palatinæ tribus additio satis superque excludit. Mitto M. Accium nullo cognomine; mitto alia, quæ in re nimium clarâ piget jam congerere.

MVNICIP. CAST. RIP. Municipis Castrî seu Castellî Ripensis. L. Holstenius in Annot. ad p. 620. lin. 52. lib. II. Ital. antiq. Cluverii ait: *Supra Castellum Durantis antiqui Oppidi insignia exstant vestigia, quod nescio, quo auctore Aleriam appellatum tradunt, nisi forte fama incertâ traditione permoveantur, quum nulla ejus apud antiquos memoria exstet. Ego Cluverio facile accesserim, ut Urbinum Metaurense hoc loco fuisse credam. De antiquitate, & ruinis ejus Oppidi vide Vincentium Mariam Cimarellium. Sed ex vetusto lapide, qui Durante in Villâ Montis S. Petri Metaurensem apud Maccios exstat, & a Sebastiano Maccio lib. I. de Portu Pisarense exhibetur, manifeste apparet hoc loco olim fuisse Municipium Castrum Ripense dictum; eum posuerunt MVNICIP. CAST. RIP. POSS. ET INCOL. & in Annot. ad Thesaurum Ortelii litera C. addit: *Castellum Ripense Municipium ad Metaurum fluvium, ubi nunc Castel Durante, ex veteri ejus loci Inscriptione.**

Equi-